

1380 lato, partim corrupto, in Histriam transmittit. Ad cuius appulsum Tergestum, Carnis jam antea instigantibus, a Venetis deficit. Genuenses sagittarios ex omnibus turmis lectos ad urbis præsidium dedere: Tergestini, sumptis armis, prætorium occupant, Donatum Thronum prætorem, & omnes Veneti nominis subita defectione percussos, rebus prius direptis, in vincula conjiciunt. Conversi inde ad utranque arcem oppugnandam (quia modico præsidio tenebantur) facta ab iis qui intus erant deditio, brevi in suam potestatem redigunt, redactas ab imis partibus diruunt. Contareus interim, rebus ad Clodiam constitutis, Carolo Zeno ad urbis custodiam relicto, maris imperio Victori decreto, Venetias rediit, ubi ingenti læticia & plausu ab omnibus ordinibus civitatis exceptus est. Tergestinorum defectio quæ per eos dies nunciata est, ut læticia illa minus sentiretur, effecit. Ea cura sub Principis adventum sollicitam habebat civitatem. Sed eo ipso die, quo Dux domum venerat, recentior alia accessit, Justinopolitana expugnatione nunciata. Constans ad id fama erat, ita auctam hostium classem, ut præter triremes (quæ circiter quadraginta esse dicebantur) biremes quoque nonnullæ adessent: Justinopolim captam (præter paucissimas exulum domos, quorum proditio urbs capta esset) ab hoste direptam: arcem vero adhuc Veneto nomine teneri, quo Crispolinus Azonius Taurisinus se cum delecta militum manu, amissa urbe, recepisset. Duarum finitimarum urbium alienatio ingentem civitati curam iniecit. Angebat præterea animos Patrum Ligusticæ classis magnitudo: manifeste apparebat, nisi ipsi quoque eum navium numerum haberent, quo hostium conatibus ubique tuto occurrerent, fore, ut non Histria solum, sed omni Veneta ora brevi Ligur esset potiturus. Continuo igitur ad ingentem vim navium expediendam conversi, sedulo dant operam, ut quotidie remigio & armis triremis aliqua instrueretur. Sed dum hæc Venetiis studio curantur, Ligur, Justinopoli Aquilejensi Antistiti tradita, ipse cum suis triremibus inde profectus, celeri cursu ad Brundulum

*Tergestini
ad Ligurum
deficiunt.*

*Justinopoli
ab hostibus
expugnatur.*